

[3] An vero vir amplissimus¹, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem² statum rei publicae privatus interfecit? Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? Nam illa³ nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus senatus consultum⁴ in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium⁵ neque auctoritas huius ordinis⁶: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

[4] Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret⁷, ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones⁸ C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus, occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permessa res publica: num unum diem postea L. Saturninum tribunum pl. et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est⁹? At vero nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem¹⁰ horum auctoritatis¹⁰. Habemus enim huiusce modi senatus consultum, verum inclusum in tabulis tamquam in vagina¹¹ reconditum, quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse, Catilina, convenit¹². Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum¹³ videri, sed iam me ipse inertiae¹⁴ nequitiaeque condemno.

Hilfen:

- 1) amplus, -a, -um = hochstehend; angesehen
- 2) labefactare, -a, -avi, -atum = ins Wanken bringen
- 3) illa: *Nämlich* „exempla“!
- 4) senatus consultum = Senatsbeschluss (*Gemeint ist der Notstandserklärung (= senatus consultum ultimum) vom 21. Oktober 63 v. Chr.*).
- 5) consilium, -ii (n.) = Entschlusskraft
- 6) ordo, -inis (m.) ≈ Senat
- 7) videre ≈ providere
- 8) suspicio, -onis (f.) = Verdachtsmoment
- 9) remorari (remororo, remoratus sum) + acc. = (etwas) lässt auf sich warten
- 10) acies auctoritatis = die scharfe Waffe eines Senatsgutachtens
- 11) vagina, -ae (f.) = Schwertscheide
- 12) convenit = es ist angemessen (*im Deutschen Konjunktiv!*)
- 13) dissolutus, -a, -um = gleichgültig
- 14) inertia, -ae (f.) = Fahrlässigkeit